



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Francisci Toleti S. R. E. Cardinalis Summa Casuum
Conscientiæ, Sive De Instructione Sacerdotum Lib. VII**

**Toledo, Francisco de
Coloniæ Agrippinæ**

55. De cambio reali.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40916

se alteri campfori daturus, tales tenentur ad restitutionem campforibus; campfores autem illis, a quibus acceperunt. Licet hoc in casu, quod mercatores emerent tanto charius, supra iustum pretium, merces a venditoribus, quanto isti magis deberent soluere pro receptione pecuniarum per chirographa: non tamen credo ita fieri. Vnum notandum est circa istas leges. Soro enim negat intra vnum regnum posse fieri ista causa, sed Nauar. cap. de vsur. num. 28. merito affirmat, dum pretium decrescat proportionaliter, quia minus debet esse, quam pro locis distantioribus.

De cambio reali.

CAPVT LV.

Cambium reale vocamus in presenti, cum campfor datur mercatori pecunias in alio loco soluendas, alio quo pretio recepto pro commutatione. Hoc autem cambium ex se licitum est; pretium tamen debet esse iustum, vt superius diximus, & nihil plus debet exigi, ratione solius morae temporis: eum enim campfor plus exigit, quia solutio in maius prolongatur tempus, vsura est. Hinc fit, vt cum solutiones essent ex mundanis in nundinas, (nam mercatores non semper solent in nundinis, pro quibus acceperunt soluendas pecunias) non potest campfor ratione talis dilationis exigere maius pretium, nisi quia cessat ei lucrum, quod alias esset percepturus, tunc ratione lucri potest exigere; sed non, si pecunia futura erit otiosa. Potest etiam licite exigere valorem pecuniarum, secundum quem pecuniae commodantur in foro occurrent, cum eas dat: nam aliquando plus, aliquando minus valent, vt diximus. Reliqua vero de diuerso valore pecuniarum ratione diuersorum locorum, iudicari possunt per ea, quae diximus in capite praecedenti. Non nego multa posse in hac materia tractari, sed per ea, quae dicta sunt, poterit quis, adhibita diligentia, ipsa discutere.

Haec, quae de cambijs & censibus dicta sunt, intelligi debent ex natura rei, saluis extrauagantibus Pij quinti, quae varia prescribunt de his materijs,